DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS, DE ICTERO.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

GULIELMUS QUILLIN,

EX INSULA MONA,

Reg. Societ. Physic. Edin. S. H.

Quod potes, id tenta: Nam littus carpere remis
Tutius est multo, quam velis tendere in altum.

CATO. DISTICH.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVIII.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

Avunculo ſuo cariſſimo

JOANNI QUAYLE,

ARMIGERO,

Non tantum ob monita amica,

Sed etiam ob curam attentionemque,

Magnas ſibi orbo relicto impenſas,

Quae grata memoria nunquam non tenebuntur;

Item,

Item,

JOANNI KENNEDY,

ARMIGERO,

Uni e Domo Tutorum in Insula Mona,

Viro ab omnibus,

Quibuscum aliquid notitiae cum eo intercedat,

Magnopere dilecto,

Qui summa et incussa probitate praeditus,

Amicis patriaeque nunquam non consulit,

Propter multa et magna beneficia ab eo accepta;

Denique,

Denique,

C O L I N O L A U D E R,

A R M I G E R O,

Collegii Chirurgorum Edinenſis Regii ſocio digniſſimo,

Et ob ſe primis artis chirurgicae et Hippocraticae

Rudimentis ab eo diligenter imbutum,

Et magis etiam ob amicitiam ſtabilem

In ſeſe conſtanter

Demonſtratam,

Hanc Diſſertationem Medicam Inauguralem,

Ut parvulum animi minime ingrati monumentum,

Ea, qua par eſt,

Obſervantia,

D. D. cq.

A U C T O R.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

ICTERO.

PROŒMIUM.

NEMO ſibi in animum inducat, morbum, cujus delectum habuerim, quemque ſim executurus in hacce diſſertatione inaugurali, licet vulgaris ſit, igiturque minime difficilis eſſe videatur, attentione medici eſſe indignum. Namque, quanquam nonnullis in exemplis ſponte decedit, et non multum moleſtiae aegrotis faceſſit, in pleriſque pertinax eſt et aegre depellitur, medicinae parere non raro ex toto recuſans; adeo ut non tantum iis, quae alii tradiderint, cognitis, ſed propriis inventis opus eſſe poſſit. Quae ſuper morbo proponenda habeo, ea quam pauciſſimis abſolvam.

DEFINITIO MORBI.

Cum accuratior autem Culleniana vix poſſit excogitari, eam adhibere non dubitabo. Sic ſeſe habet. " Flavedo " oculorum et cutis; faeces albidae; urina obſcure rubra, " immiſſa colore luteo tingens."

HISTORIA.

Hic morbus nulla aetate, nullo temperamento, neutro ſexu, circumſcribi videtur; adultos tamen ſaepius, quam pueros, foeminas, quam viros, temperamentum melancholicum, quam alia, infeſtare videtur. Signa in aliis aegrotis longe aliter accedere conſuerunt. Morbus quidem eundem hominem, diverſis temporibus, diverſe adficit. Praeter notas, quae definitione ſupra poſita comprehenduntur, ſequentes invadere ſolent; dolor nempe in regione jecoris obtuſus, gravitatis et tenſionis circa praecordia ſenſus, corporis totius torpor et laſſitudo, ſuperficiei corporeae pruritus et ariditas, ſitis nonnunquam

magna.

magna. Arteriae vero raro, praeter confuetudinem, agitantur. Dolor hypochondrii dextri fenfim intenditur, laffitudo corporis univerfi major evadit; accedunt fomnolentia, interdum fopor, fpiritus difficilis, oris amaritudo, adeo ut et cibus et potio faporem perquam ingratum habeant, naufea, quae vera vomitione tandem plerumque finitur, fumma praecordiorum anxietas. Flavedo non amplius oculorum albo continetur; fed prius cervices, deinde univerfam corporis fuperficiem, pervagatur, pulchritudinem ejus foedans et corrumpens. Quae urina hoc tempore redditur, ea aliquid craffum fubnigrumque deponere folet. Dolores, qui modo diutius urgent, modo citius decedunt, partes abdominis diverfas intrinfecus infeftare incipiunt; et abdomen ipfum extrinfecus frequenter intumet. Reliqui humores quoque colorem non minus flavum, quam urina ipfa, tandem fibi affumunt. Hujufmodi funt faliva, fudor, &c. Si morbus non levatur, fed fingulis diebus ingravefcit, flavedo, quafi corpore extremo non amplius contenta, longius longiufque fefe diffundit, in partes ejus intimas penetrans, telam cellulofam, medullam offium, terram eorundem, fubftantiam cerebri medullofam, partes denique univerfas, quafi praedam fuam, occupans. Cutis ipfa quoque ad extremum ex toto nigrefcit, quod in caufa eft, cur morbus longe

provectus

provectus *niger* fuerit denominatus. Nonnulla signa, praeter ea quae supra comprehenderimus, canalis alimentarii propria sunt, ut durities alvi, concoctio imminuta, acor, inflatio, &c. quae ibi sedem plane habent, et saepe gravissime saeviunt. Quantum vero ad alvum duram attinet, ea quidem plerumque subest. Exempla tamen non desunt, si fides nonnullis habenda, ubi non tantum, sub ipsa initia, sed in spatium temporis non parvum, postquam morbus accesserat, soluta mansit. Faeces per totum morbi decursum plerumque sunt albidae, ut in definitione supra posita fuit notatum; et, rebus ita se habentibus, spissitudinem luti habent, et foetore solito, magna ex parte, destituuntur. Colorem vero naturalem flavidumve, saltem in aliquantum temporis, licet flavedo in aliis corporis partibus semet jam ostenderit, interdum retinere videntur. Memoria quoque tenendum est, aegrotos paroxysmis rigoris aliquando fuisse correptos, qui, licet graves esse videantur, multo plus terroris, quam periculi, secum adducunt. Quinetiam dolor hypochondrii dextri, quibusdam in exemplis, propemodum ex toto intolerabilis est, mensem totum, sine ullis intervallis, nonnunquam urgens; plerumque vero, non ultra biduum triduumve, sine intermissione, infestans. A quibusdam affirmatur, oculis ictero laborantium objecta flava videri. Super hac re alii alia

sentiunt.

ſentiunt. Hoc vero quam proxime ad veritatem accedere videtur. Pleriſque aegrotantium ob oculos obverſantia non flava videntur; res vero non ſemper ita ſe habet. Namque pauculis caerulea viridia, alba, flava viſa ſunt. Mulieres praegnantes et pueri recens nati aliquando hoc morbo tentantur; ſed in utriſque, ſine ope medicinae, plerumque decedit. Paroxyſmi icteri, quod ſilentio minime praetereundum eſt, longitudine et gravitate magnopere differunt. Modo in biduum triduumve tantum, modo in ſpatium annuum multove diuturnius, infeſtant, modo leviores, modo graviores. Si redeunt, eundem curſum plerumque tenent. Memoria nunquam excidat, paroxyſmum gravem magnam debilitatem et attenuationem plerumque facere; quamvis exempla minime deſunt, ubi paroxyſmi in magnam longitudinem producti, magnoque gravitate ſtipati, non multum injuriae detrimentive aegrotantibus intulerunt.

Haec ad extrema fere jam ventum eſſe teſtantur, morbus gravis diuque manens, praeſertim nulla ex parte levatus, vires aegroto miſerando ex toto convulſae, pedum oedema, aliis hydropis ſummaeque debilitatis ſignis adjunctum, profuſiones ſanguinis copioſae, ſudores digerentes.

Vir

Vir celebris Hillarius, dum morbos insulae Barbadensis exequitur, icteri mentionem facit, qui potissimum in pueros, ab anno aetatis tertio, ad septimum octavumve usque, invasit. Plerumque ab aversatione ludi et motus, appetitu prostrato, excretionibus alvinis albidis et duris, dolore circa regionem hepatis parvo et obscuro incepit. Quidam leviter febricitarunt; sed omnes notis inflammationis hepatis ductuumve biliferorum caruerunt. Alii nullo calore febrili tentati sunt; sed in cute oculisque omnium non parum flavedinis semet ostendit. In morbum plerumque multum potuerunt cathartica refrigerantia, medicamenta e sapone parata, stomachica paucula leniora *.

DIAGNOSIS.

Paucissimi quidem morbi sunt, qui cum ictero confundi periclitantur. Ex iis vero praecipui sunt,

1. *Chlorosis.*

* Vide Diseases of Barbadoes, p. 61.

1. *Chlorosis.*—Discrimen autem, quod hanc inter et icterum morbumve regium, ut ab antiquioribus scriptoribus fuit appellatus, intercedit, adeo manifestum et evidens est, ut in eo depingendo multum operae ponere foret supervacaneum. Quae flavedo in chlorosi semet ostendit, si nomen hujusmodi meretur, ea est potius cutis pallor vel decoloratio, uti optime in definitione hujus morbi Culleniana describitur, quae in omnibus magnae et universae relaxationis et debilitatis exemplis nunquam non apparet, conditionis hoc genus corporeae quodammodo propria, et ab icterica toto coelo differens. Quinetiam album oculorum haudquaquam aeque, ac in ictero, adficere et foedare solet. Urina quoque chlorosi laborantium et alia excreta nihil, parumve saltem, mutationis subeunt. Quantum ad urinam attinet, immissa colore luteo nunquam tingit. Insuper, multa alia signa sunt, quae in chlorosi adsunt, in ictero absunt; rei nempe non esculentae desiderium, venae minus plenae, corporis tumor mollis, cordis palpitatio, menstruorum saepe retentio, asthenia, multo major. Denique, quae mulieres chlorosi conflictantur, eae nunquam dolorem dextri hypochondrii acutum, sed dorsi, lumborum, partiumve iis vicinarum, queruntur. Chlorosis quoque eo tempore, quo menstrua proveniunt aut provenire debent, circumscribitur; icterus vero nulli aetati sexuive parcit.

2. *Morsus*

2. *Morſus quorundam animalium venenati.*—Quae animalia morſus hujuſmodi aliis animantibus infligunt, ea ſunt aſpides, viperae, araneae certae, canes rabidi, &c. Quin flavedo a vulneribus, quae haec et ſimilia inferunt, oriatur, nemo ſibi in animum ambigere inducet. Ab ea vero, quae ſignum icteri praecipuum conſtituit, ex toto diſcrepat. Nec urinam, nec ullos ex humoribus ſecretis, colore ſuo impertitur. Non in albo oculorum primum ſeſe oſtendit, ſed circa oras vulneris incipiens, prius in partes vicinas, et deinde in corpus univerſum, diffunditur. Quinetiam membro, cui injuria fuit facta, frequenter continetur. Denique, optimi phyſiologorum, quos noſtrum viderit ſeculum, hunc colorem non a bile, ſed a ſero effuſo, quod colore hujuſmodi corpus inquinare conſueverit, proficiſci exiſtimant.

3. *Febris Indorum Occidentalium flava.*—Haec febris et icterus omnibus fere ſignis inter ſeſe differunt. In illa pyrexia ſemper ſubeſt, in hoc ſemper, contra, deeſt, niſi morbus cum aliquanto hepatitidis fuerit conjunctus, vel ab ea pendebit ex toto ſymptomaticus. Flavedo oculorum et cutis primis fere icteri ſignis ab omni medico accenſetur; ea vero, quae febris Indorum Occidentalium flavae propria eſt, non, ante biduum exactum, ſemet in conſpectum

ſpectum dat. Qui hac laborant, in anxietate et oppreſſione circa praecordia, et dolore hypochondrii dextri, omnino carent. Quinetiam rubor faciei et oculorum horumque ardor moleſtiſſimus in primis hujuſce febris ſignis ſunt, et a ſagaciſſimis, qui medicinam opud Indiam Occidentalem faciunt, cohortis Hippocraticae pro pathognomonicis habentur. Inſuper, alvus ſemper ſoluta eſt, et bilis in canali alimentario non deficit, ſed evidenter redundat. Ab abſorptione hujus ex inteſtinis, ut in cholera incidit, flavedinem proficiſci judicio acerrimo praediti phyſiologi opinantur. Vix audiendi, me judice, ſunt illi, qui hoc ſignum ab humoribus putreſcentibus deducunt; namque, ſi proclivitas humorum ad putredinem eo uſque, ut corpus colore flavo poſſet impertiri, proceſſiſſet, pauci, vel nemo e febre emergeret; quod minime incidit.

Quinetiam operae pretium foret, licet ab ordine diſſertationum hujuſmodi communi alienum eſſe videretur, cauſas, quae hunc morbum ſoleant movere, diverſas a ſe invicem accurate diſtinguere. Hoc enim facto, via medendi, in quam deberet procedi, multo clarior et manifeſtior evaderet.

Si aeger doloribus hypochondrii dextri vel epigaſtrii per ſpatium temporis minime breve ante colluctatus ſit, quam morbus in eum invaſerit, ſi vultus pallore inſigni et inuſitato fuerit notatus, adeo ut cachexia laborare exiſtimari potuerit; ſi notae dyſpepſiae eum infeſtarint, et morbus, ex quo acceſſerit, uno eodemque tenore perrexerit; non longe a vero, judicio meo, deflectes, ſi eum a tumoribus hepatis partiumve ei vicinarum proficiſci judices. Namque morbus continuus, et paroxyſmis deſtitutus, a cauſa permanente et ſtabili oriatur neceſſe eſt.

Utrum calculus in ductibus inhaerens, an ſpaſmus iiſdem illatus, morbum faciat, pro certo diſtinguere perquam difficile eſſe videtur. Etenim utrumque ſigna ſibi invicem ſimillimà comitantur. Si vero paroxyſmus brevi ad finem perducatur, ſi nullus calculus deſcendat et in ſtercore appareat, ſi ira aliive affectus animi violentiores in cauſa, cur paroxyſmus oriatur, ſint, ſpaſmum morbum excitaſſe concludere licet, ſi fas ſit, ſumma auctoritate repugnante, talem cauſam agnoſcere. Sin aliquis corporis niſus violentior, equitatio, vomitio, ſaltatio, curſus, &c. quae ad calculum e veſicula fellifera in ductum communem depellendum accommodantur, morbum fecerint, nihil, quin calculum pro cauſa habeas, obſtare videtur.

Quae mortales morbo opportunos efficiunt.—Qualia haec ſint, medici adhuc magna ex parte ignorant; morbus enim illos ſaepe occupat, in quibus ſumma ſagacitas nihil detegere valeat, quod ſeminium conſtituere poſſe videatur. Cum vero mulieres ſaepius, quam viri, et literarum cupidi prae aliis in hunc morbum incidant, et haud dubie ob vitam, quam agunt, ſedentariam, nihil, me judice, quo minus haec pro ſeminio haudquaquam inſolito habeatur, obſtare debet. Quomodo mortales ad morbum proclives reddat, intellectu minime facile. An bilem in veſicula felligera nimis diu manere, viſcidam, praeter conſuetudinem, ob partes tenuiores abſorptas, fieri, et igitur calculis fundamenta jacere patitur? Omnes animi affectus, qui eum contriſtant et degravant, ut metus et moeſtitia diuturna, &c. et temperamentum melancholicum, quod animo demiſſo metuque mortis conſtante nunquam vacat, idem praeſtare dicuntur, et eundem in modum forſitan agunt. His, judicio nonnullorum, accedunt uſus liquorum ſpirituoſorum immodicus, haemorrhois, et menſtrua ſuppreſſa, cortex Peruvianus in febribus intermittentibus depellendis imprudenter adhibitus, morbi cutanei retropulſi, cathartica et emetica, ad quae intempeſtive fuit decurſum. Qua ratione vero quaedam ex his proclivitatem ad morbum dare poſſint, me ex toto latet. Igitur actionem eorum,

rum, cum tantis tenebris ſit involuta, ſagacioribus explicandam lubens relinquo.

QUÆ MORBUM EXCITANT.

Quae hoc praeſtant, ea numeroſa ſunt, et nonnullis in exemplis ignota. Namque cadaveribus quorundam, qui vivi ictero ſaepe laboraverant, inciſis, nihil omnino fuit repertum, unde morbus profectus eſſe exiſtimaretur. Praecipua vero, quae chirurgos medicoſque non fugerunt, infra recenſentur.

1. *Bilis in veſicula fellis nimis viſcida reddita.*—Hanc Monroius celeberrimus, quo non praeſtantior alter vel in re phyſiologica vel in re anatomica, cauſis, unde icterus profluat, annumeravit. Nec ratio, cur ita fecerit, graviſſima deeſt. Multi etenim, in quos paroxyſmi icterici graviter ſaevierunt, quantitatem bilis admodum viſcidae dejecerunt, et in poſterum, ſaltem in tempus, a morbo immunes vixerunt. Quae excreta fuit, ea vitellum ovi retulit. His in exemplis, morbus non alii cauſae, calculo nempe, jure tribui potuit; nihil enim hujuſmodi in ſtercore

diligentia

diligentia summa detegere valuit. Haec bilis aliquam ductus communis partem, forsitan finem ejus, ubi in duodenum hiat, occlusisse merito censetur. Hanc mutationem morbidam, ob absorptionem partium tenuiorum, subire potuit. Quot quamque diversis modis a statu sano et naturali deflectat, dictu in primis difficile est. Hoc notasse sufficiat, nihil fere ea magis esse mutabile; et igitur minime mirum esse, morbos graves hinc frequenter proficisci solere.

2. *Tumores hepatis ipsius partiumve ei vicinarum.*—Hos icterum saepissime facere, testantur incisiones cadaverum innumerae, quas Morgagnius celebris multique alii, qui in morborum causas et sedes inquisiverunt, memoriae prodiderunt. Quantum hepar ipsum spectat, si tumor etiam modicae magnitudinis in parte ejus concava et inaequali orietur, prope ductus biliferos ad duodenum descendentes situs, neminem, qui rem anatomicam rite novit, potest latere, illum has adeo, ut descensui bilis in futurum ex toto obsistatur, coarctare et comprimere posse. Exemplum hujus memorabile refert celebris Swietenius *. Cadaver mulieris, quae hoc morbo fuerat extincta, incisum est. Stomachus tam amplus tamque inflatione distensus repertus

* Vide Comment. in Aph. Boerh. 935.

tus eſt, et tam profunde ab oſtiis duobus dependit, ut fundus ejus tres digitos tantum abeſſe pubis diſtaret. Omentum et colon longius etiamnum deorſum propulſa ſunt. Hepar colorem viridem habuit, ſiccum, durum, tumoribus ſchirroſis aſperum, infra coſtas ſpurias lateris dextri detruſum. Nullae in eo vomicae fuerunt repertae; ſed rami venae portarum, in id diffuſi, magnopere diſtenſi. Inſuper, vaſa omenti, meſenterii, et inteſtinorum, varicoſa fuerunt, et ſanguine praeter conſuetudinem repleta. Veſicula fellis adeo fuit diſtenſa et tumefacta, ut ad os illi dextrum uſque patuerit. Libram aut circiter humoris limpidi, odore deſtituti, ſapore ſalini, et colore vix ſubviridis, continebat. Calculi diverſae magnitudinis et figurae reperiebantur. Extrinſecus cruſtam duram et albidam habebant, pars media continebat materiam admodum flavam, ſed molliorem. Quinetiam, cum hepar et non pauca abdominis viſcera ſemet mutuo contingant, tumores horum idem praeſtent oportet. Exempla hujus ſuppeditare conſuerunt viſcera ſequentia, inteſtina, potiſſimum vero duodenum, colique curvatura, pancreas, omentum, meſenterium, tunicae ductuum biliferorum ipſorum. Hae inflammatione vel aliquo alio morbo, teſtibus viris celeberrimis Morgagnio Monroioque ſeniore, eo uſque fuerunt correptae, ut tantam craſſitudinem ſibi comparaverint,

quanta,

quanta, in posterum, descensum bilis, lumen ductibus vel multum imminuendo vel penitus obturando, magnopere retardavit vel ex toto impediit. Posterior ex viris claris modo positis memoriae prodit, ductus ipsos interdum concrescere morbumque progenerare. Exemplum unum attentione dignissimum in medium profert, ubi in quodam aegro, qui magnam medicamentorum varietatem in biennium, antequam fato concesserat, frustra sumpserat, concretio ductus communis prope ostium ejus fuit reperta. Sequentia quoque morbum movere possunt, duodeni distensio, unde unde proficiscatur, pars coli, quae hepati soleat applicari, ob molem stercoris flatumve intumescens, glandulae lymphaticae, capsula Glissonii inclusae, magnitudine sua per tumores adauctae. Cibus quilibet tenax, concoctuque difficilis, in duodeno nimis diu morans, et eam forsitan ductus communis partem, quae in canalem alimentarium hiat, occludens, ad morbum movendum accommodari videtur. Quod sequitur, hoc firmare videtur. Quidam aegrotus, magna seminum grossularum quantitate, quam se ante viginti dies edisse postea meminit, rejecta, morbo protinus liberatus est. Insuper, exempla non desunt, ubi ulcera externa exsiccata tumores circa hepar excitarunt, qui hunc morbum fecerunt mortemque intulerunt.

runt. Casum hoc genus insignem refert Bonetus *. Gregorius filius, vir in primis doctus et ingeniosus, in praelectionibus suis clinicis, exemplum mulieris memoriae tradit, cui hic morbus ab hydatidibus ortus est. Ducentas harum aut circiter dejecit. Distensio autem a tanto earum numero orta ductus, per quos bilis devehitur, facile coarctare et comprimere potuit.

3. *Calculi e bile compositi.*—Duas corporis partes concretis calculosis, vias nempe biliferas et uriniferas, ante omnes alias, patere compertum habemus. Quomodo vero concreta hujusmodi fiant, magna ex parte ignoramus. Quantum ad calculos e bile confectos attinet, aliquis nucleus datus particulas bilis viscidas sibi forsitan attrahit, et ita tandem calculum, fontem icteri longe maxime communem, progignit. Unde vero hic nucleus suppeditetur, qualisve sit, utrum e particula bilis praeter consuetudinem crassa et viscida, an ex aliquo longe diverso a vasis sanguiferis ibi effuso et deposito, constet, nos ex toto latet. Qui calculi hunc morbum faciunt, ii ab illis, quos urina procreat, hoc, quod aliquid oleaceum continent et flammam concipiunt, magnopere different. Inter sese non minus discrepant

* Anat Pract. lib. iii. sect. xvi. Obs. iii. tom. ii. p. 280.

discrepant spissitudine, gravitate specifica, figura, magnitudine, colore, duritie, facilitate, et difficultate, quibus dissolvuntur vel ardent. Alii compacti, duri, ponderosi; alii molles, friabiles, leves. Aqua plerumque specifice leviores. Res vero aliter interdum sese habet; namque nonnulli in aquam conjecti ad fundum protinus descendunt. Ductum hepaticum non raro communem saepissime occupant. In ductu cystico siti quoque, si bene longe in eum descenderint, et tantum magnitudinis habebunt, quantum finem hepatici initiumve communis vicinum comprimere poterit, icterum movere valebunt. Hos saepe in causa, cur icterus oriatur, esse testantur calculi ipsi, post mortem, in ductibus ipsis inhaerentes reperti, stercus quod eos excretos saepe continet, dolor hypochondrii dextri acutus vi eorum distendente factus, accessio morbi decessioque abnormis, quae a calculis formam parum regularem habentibus sedemque mutantibus proficisci videntur. Hanc ob causam calculi, paroxysmo ad finem perducto, frequenter in stercore non reperiundi sunt, quod situm tantum mutarunt, et non descenderunt. Quinetiam per ductus transeundo icterum movere, et in canali alimentario postea liquescere, et igitur in excretis alvinis non semet ostendere, possunt. Hoc vero rarissime incidere videtur. Namque solutu saepe difficillimi sunt, ut Monroius

celeberrimus, indagator naturae hujuſce morbi feliciſſimus, in praelectionibus ſuis manuſcriptis teſtatur, et tantum ut liqueſcant abſunt, ut, contra, per inteſtina tranſeuntes mole creſcant, et ſummam aegroto moleſtiam faceſſant. Calculi vero veſiculam felliferam tenentes, ut auctor modo poſitus teſtatur, quod haec aliquando colo adhaeret, viam ſibi, nonnullis in exemplis, in colon patefecerunt, et una cum ſtercore fuerunt excreti.

4. *Spaſmi.*—Aliqui ſummi viri, in quibus Hoffmannus ipſe eſt, ductus biliferos ſpaſmis objici, et igitur hos pro cauſa icteri habendos eſſe, contendunt. Alii, contra, qui non minus claritudinis et famae in medicina ſibi compararunt, in ſententiam ex toto contrariam iverunt. Utrum illi, an hi, in errore verſentur, non opis eſt noſtrae ſtatuere. Igitur nihil aliud, quam argumenta hinc inde quam breviſſime proponemus. Cum canalis alimentarius, inquiunt illi, ad ſpaſmos plane evidenterque proclivis ſit; cum icterus morbos ſpaſmodicos, ut colicam convulſivam, hyſteriam, ileum, &c. frequenter excipiat; cum ductus ipſi, ut Hallerus accuratiſſimus confitetur, licet ſtructura eorum muſcularis nondum plene demonſtrata ſit, irritantibus applicatis, ſemet nonnihil contrahant; cum fabrica muſcularis in corpus univerſum, pauculis partibus, ut ſub-

ſtantia

ſtantia nervoſa, celluloſa, oſſibus, cartilaginibus, &c. exceptis, ſeſe diffundat; cum morbus, nullis calculis excretis, ſaepe ſubito accedat et decedat; cum affectus animi concitatiores, qui ſpaſmum ſuperficiei corporis plane inferunt, et igitur forſitan ductus biliferos eodem modo afficiunt, eundem non raro movere ſoleant; cum denique inciſiones cadaverum accuratiſſimae nullum vel in ductibus ipſis vel in duodeno obſtaculum, quod ad fluxum bilis ſiſtendum accommodetur, ſaepe offendere poſſint; quidnam alicui in animum inducere debet, fibras muſculares ductibus biliferis deeſſe, aut ſpaſmos eos occupare non poſſe, et ita morbum creare? Hi, contra, argumenta ſupra relata nihili aeſtimanda eſſe, nullumque pondus habere debere contendunt, quod nullae fibrae muſculares ulla arte, vel cultro anatomico, vel ſtimulis mechanicis chemicisve admotis, in ductibus clare detegi poſſunt. An ſpaſmus, inquiunt, ibi ſubeſſe poteſt, ubi fibrae muſculares, quas ſolas invadere valet, ex toto deſunt? Quantum affectus animi violentiores ſpectat, eos morbum excitare poſſe lubentes confitentur; ſed modo longe alio, ac illis placuit, agere contendunt. Namque, horum judicio, ſpaſmum corpori extremo inferendo, curſumque humorum igitur interiora verſus faciendo, excretionem bilis magnopere adaugent, quae concuſſioni corporis, quae iram alioſ-

que animi affectus similes constanter comitatur, adjuncta calculos, ante in cystide sitos, in ductum communem depellit, et ita morbum facit. Quinetiam non inficiantur, spasmum duodeno, quod perquam irritabile est, illatum tales contractiones posse ciere, quales ostium ductus communis claudere, et igitur icterum, qui breve spatium habebit, excitare valent. Quomodo vero hinc, cum ulla ratione gravi, potest concludi, spasmum aliquidve spasmo simile cum ulla ductuum biliferorum parte fuisse communicatum? Denique, incisiones cadaverum, quae nullos calculos pauculis in exemplis adfuisse demonstrant, nihil omnino, ut hi arguunt, valere possunt; namque in canalem alimentarium delapsi liquescere potuerunt.

CAUSA PROXIMA.

Haec autem, ut Gaubius celebris docet, est effectus seminii et causarum excitantium conjunctus. Nonne vero omnes causae, quas supra posuerimus, excitantes noxaeve, uti appellantur, ad *excretionem bilis impeditam* faciendam plane evidenterque accommodantur? Hanc igitur pro

causa

caufa icteri proxima haberi oportet, faltem in nonaginta novem e fingulis centum exemplis, et forfitan in multo pluribus.

Quaeftio vero hoc in loco, antequam ulterius progredimur, excutienda eft, nimirum, utrum fecretio impedita necne icterum facere poffit.—Secretionem autem hepatis impeditam icterum movere poffe, bona pars medicorum, qui feculo fuperiore initioque praefentis floruerunt, crediderunt. In hanc fententiam vero conceffere theoria falfa a vero detorti. Namque illis fuit perfuafum, omnes humores, qui in toto corpore fecernuntur, fanguini, qui quidem omnium, quotquot funt, fons et origo eft, propria fua forma ineffe. Si res autem ita fefe haberet, quam heterogenea maffa foret fanguis? Quam varia et diverfa, immo contraria, contineret? Res vero longe aliter fe habet; namque fanguis, licet, ut modo diximus, omnium humorum parens communis fit, ne unam quidem notam ullius fluidi fecreti, antequam per glandulam ei fecernendo deftinatam tranfiit, oftendit. Quod clare manifefteque demonftrat, humores, qui fecernuntur, non formaliter, fi tam inquinate fcientiae caufa loqui liceat, fanguini ineffe, fed naturas eorum diverfas a diverfa glandularum, unde fecernuntur, ftructura pendere. Sanguis, exempli

exempli gratia, e vena portarum hepar ingreſſura emiſſus, nulla omnino naturae bilis indicia exhibet. Quod rem ulterius firmat, immo indubitabilem reddit, hepar univerſum ſchirro ſaepe laborat, et nulla icteri nihilominus ſigna ſemet oſtendunt. Si bilis vero ſanguini ineſſet, haud dubie, exitu uſitato ſibi negato, corpus univerſum colore ſuo, ſpatio brevi, inficeret, et icterum graviſſimum progeneraret. Si theoria denique, quam oppugnamus, vera foret, icterus per totum vitae decurſum mortales infeſtaret; namque ſanguini conſtanter ineſſet. Hoc vero non incidit, et igitur theoria falſa ſit oportet.

Proximum autem eſt, ut in hoc, utrum ſecretio bilis praeter conſuetudinem adaucta icterum necne poſſit excitare, inquiramus. Eam icterum verum, quem ſupra depinxerimus, creare poſſe negamus; ſed ſymptomaticum facere valere lubentes confitemur. Exemplum hujus luculentum nobis ſuppeditat cholera, ubi bilis quantitate inuſitata ſecreta, et in canali alimentario per vaſa lymphatica abſorpta, icterum, comitem hujuſce morbi perpetuum, movet. Exemplum quoque praebet febris Indorum Occidentalium flava, ubi bilis eaſdem ob cauſas nimis liberaliter ſecreta idem praeſtat. Exemplum itidem ſufficit diarrhoea iſta, quae in pueros brevi ſpatio a partis ſaepe in-

vadere

vadere ſolet, ubi excretio bilis non impeditur, ſed, contra, augetur, ut ſtercus praeter conſuetudinem flavum plane teſtatur. Emetica et purgantia draſtica denique, quae icterum ſymptomaticum aliquando movent, huic opinioni fidem faciunt. Quomodo vero? Nonne ductus biliferos emulgendo, ut quantitas bilis inſolita excernatur, faciunt, quae poſtea ex inteſtinis abſorpta effectum modo poſitum edit.

Pars autem laboris noſtri, in hac diſſertatiunculae portione, extrema eſt, ut rationem, qua bilis ſanguinem ingrediatur, breviter inveſtigemus. Per poros biliarios vero prius in venam cavam, deinde in reliquum ſyſtema ſanguiferum redeat, vel in idem per vaſa lymphatica abſorbentia invehatur, neceſſe eſt. Si prius falſum eſſe demonſtrare poterimus, poſterius verum ſit oportet. Illi autem et analogia et experimenta, quae omne ratiocinium ſupervacaneum efficiunt, adverſantur. An aliquid ei, quod petitur, in univerſo corpore humano, ſimile incidit? An unus quidem liquorum ſecretorum in ſyſtema ſanguiferum aliter, quam abſorptione, revehitur? Nonne natura ſapiens motum liquorum, qui ſecernuntur, hujuſcemodi retrogradum omni, quod in ſua poteſtate fuit, artificio praecavendum curavit, et eos curſum, quem modo tenuerunt,

erunt, relegere prohibuit? Cum liquores in ductus biliferos in cadavere, ubi omnis sanguis e vasis summa diligentia expressus et elutus est, immissi viam sibi ad venam cavam, sine ruptura, reperiri nequeant, quomodo, quaeso, bilis contra vim sanguinis et fluentum, in corpore vivo, retro redire potest? Ad experimenta vero, omni ratiocinio longe potentiora, decurratur. Ductum communem canis ligavit Monroius celeberrimus, quod icterus brevi excepit, et vasa hepatis lymphatica absorbentia bilem continere reperta sunt, quae omnes bilis genuinae dotes plane manifesteque habebat. Quinetiam ductum hepaticum ductumve communem, et partem ductus thoracici infimam, vinxit, et nulla icteri signa apparuerunt. At omnibus animalibus, in quibus ductus thoracicus liber relictus est, tota sanguinis massa paucis horis tingi, consuevit. Quae experimenta bilem sanguinem absorptione sola ingredi aperte clareque demonstrant.

PAUCU-

PAUCULORUM E SIGNIS EXPLICATIO.

Supra comprehenſa tantum luminis, me judice, ſignis offuderunt, ut explicationis longae minime indigeant. Igitur hic brevitati ſtudere pro virili conabor.

Flavedo oculorum et cutis plane proficiſcitur a bile parti ſanguinis ſeroſae admiſta, et citius in oculis, quam alibi, propter partis eorum albedinem, apparet; *faeces albidae ventriculique perturbatio* a defectu bilis, quae ſtercus ſuo flavo colore impertitur, alvum ſolutam tenet, concoctionem promovet, inflationi, acori, aliiſque ſignis ſimilibus, inimica; *urina obſcure rubra* a bile ei admiſta, quae omnes humores ſecretos ictero laborantibus tingit; *dolor hypochondrii dextri* a ſpaſmo, ſi datur ſpaſmus, vel a calculis per ductus tranſeuntibus, eoſque diſtendentibus et irritantibus; *corporis univerſi torpor et laſſitudo* ab illo conſenſu nervoſo forſitan, proh dolor! inexplicabili, qui inteſtina inter et reliquum corpus intercedit; *nauſea vomitionem, &c. movens*, ab eadem conſenſu inter partes laborantes et ventriculum; *cutis pruritus* a bile nervulos cutis irritante; *ſpiritus difficilis*, et *ſumma*

praecordiorum anxietas, ab hoc forſitan, quod aegroti motus diaphragmatis reiteratos dolorem hypochondrii dextri adaugere comperientes, aërem minus libere inſpirant, ſed ſpiritum frequentius trahunt, quod facit, ut ſanguis in pulmonibus non ſatis diſtenſis nimis accumuletur, et ſigna, quae exponimus, inde oriantur; *color* eorum quae conſpiciuntur *flavus* ab humore oculi aqueo luteum colorem ſibi adepto, qui objecta oculis eodem colore, cujus ipſe eſt, impertitur, ut in exemplo ſpecillorum notiſſimo incidit, quae, pro diverſitate ſuorum colorum, quemlibet colorem objectis comparare conſuerunt.

PROGNOSIS.

Qualis morbi finis futurus ſit, manifeſtius indicabit cauſarum cognitio, quam ſignorum gravitas. Si morbus a ſpaſmis oriatur, finem fauſtum habebit; namque hi non diu manere poſſunt. Si a calculis proficiſcatur, eventus admodum incertus eſt; namque frequentur nulla medicinae ope in canalem alimentarium depelli poſſunt. Si quotidie ingraveſcat, ſalus aegroti deſperanda. Si cum hepatitide conjungatur, perquam quoque incertus eſt; ſchir-

rus

rus enim hepatis inflammationi ſupervenire, morbumque perpetuum reddere periclitatur. Si a tumoribus duris pendeat, aegrotus etiam in ſummo periculo verſatur; hi enim ſaepiſſime, non ſine ſumma difficultate, diſcuti ſolent. Si ductus concreverunt, aegrotum reſtituere fruſtra conabitur medicina.

RATIO MEDENDI.

Conſilia autem morbum curandi quatuor ſunt.

1. Ductus bile viſcida liberare.

2. Tumores hepatis ipſius partiumve ei vicinarum tollere.

3. Calculos, qui ductus occludunt, in inteſtina depellere.

4. Spaſmos, ſi eos adeſſe ſuſpiceris, tollere.

1. *Ductus bile viſcida liberare.*—Magnopere quidem dolendum eſt, neminem praeſentiam hujuſce cauſae, antequam bilis ipſa deſcendit, noviſſe poſſe. Igitur in exemplo hujuſmodi nulla omnino remedia poſſunt adhiberi. Si

vero

vero eam in caufa effe fufpiceris, ad emetica valentiora decurratur, quae ductus exagitando bilem iifdem inhaerentem in inteftina forfitan depellent. Nec ulla alia huic confilio neceffaria effe videntur remedia.

2. *Tumores hepatis ipfius partium ei vicinarum tollere.*—Hi autem vel fchirri plerumque funt, vel ad naturam eorundem magnopere vergunt, in quos nulla medicamenta, quae mortales adhuc noverunt, multum poffunt. Rebus ita fe habentibus, cum remedium anceps potius, quam nullum, debeat tentari, ad cicutam, mercurium, aquafve medicinales confugiatur. Nihil forfitan proderunt; vota enim medicorum faepiffime fruftrantur; faluti tamen curae noftrae demandatorum, quantum in nobifmetipfis eft, confulere conandum. Cicutam multis laudibus ornarunt medici Germanici, praefertim vero clarus Stork. Apud Britannos vero, nec in hoc morbo, nec in quolibet alio, ubi tumores difcutere voluerunt medici, votis eorum refpondit. Mercurii igitur, qui multo plus auxilii promittit, periculum faciendum. In glandulas falivam fecernentes potiffimum agit. Si pancreas igitur, quod liquorem falivae non diffimilem fecernere exiftimatur, tumefactum morbum faciat, in auxilium hujus promptum forfitan effe reperietur. Modica quantitate fumatur, et in ufu ejus diu perftetur.

ftetur. Aquae medicinales, quae falibus mediis imbutae funt, et igitur vim purgantem habent, non neglectui habeantur. Aliquid fructus enim inde forfitan percipietur.

3. *Calculos, qui ductus occludunt, in inteftina depellere.*— Quae remedia huic confilio conveniunt, ea plane funt emetica et purgantia leniora. Sanguis vero, antequam ad ea decurritur, fi dolor hypochondrii dextri urgeat, et figna febrilia, etiam leviora, adfint, mittendus eft; quod fyftema univerfum relaxabit, et defcenfum forfitan calculi expediet. Rebus ita fe habentibus, regimen antiphlogifticum diligenter adhibendum. His autem rite praemiffis, in ufum revocentur emetica et purgantia. Quomodo agant, neminem latere poteft. Motum periftalticum invertendo, eundemve accelerando, agunt; et igitur ductus biliferos quafi emulgent, fecretionem bilis et excretionem augentia. Hoc modo calculos ductibus inhaerentes in canalem alimentarium forfitan pollicere poterunt. Si emetica non hunc effectum, omnibus votis exoptandum, brevi edent, non diu in ufu eorum perftetur; morbum enim graviorem, calculos ductibus arctius infigendo, reddere periclitantur. Quae purgantia dantur, ea bilem ipfam dotibus fuis ftimulantibus quam maxime referant. Hujufmodi funt aloetica, falefque medii, quibus faponem et amara

moris

moris eſt multorum adjungere. Si haec vero non tantum in morbum, quantum optamus, poterunt, opium, fomenta, balneum tepidum, liquores tepidi, in alvum liberaliter immittendi, adhibeantur, quae ductus relaxando et emolliendo, ut calculus facilius deſcendat, forſitan facient. His exercitatio adjungatur, quae ad calculos detrudendos plane accommodatur. Si ſigna graviora reddere incipiat, ea momento abſtineatur.

4. *Spaſmos, ſi eos adeſſe ſuſpiceris, tollere.*—Huic ſequentia, quorum actionem ſupra expoſuimus, accommodantur, opium, fomenta externa et interna, lenis alvi purgatio, et denique miſſio ſanguinis, ſi acceſſerint ſigna febrilia. Emeticis vero, utpote quae ſpaſmos graviores efficere periclitentur, quod quidem vi ſua irritante facere poſſunt, abſtineatur ſuadet Hoffmannus.

FINIS.